

furor, miraculorum Christi narrations ad metras allegorias detorquentis.

12. Sed quoniam coniunctio, quae inter verba et ideas intercedit, orta est ab institutione humana, contineturque consuetudine: facile intelligitur, sensum verborum pendere ab usu loquendi, et hoc cognito, illum cognosci.

13. *Vsus* autem *loquendi* multis rebus definitur, tempore, religione, secta et disciplina, vita communi, reipublicae denique constitutione: quae fere efficiunt characterem orationis, qua quisque scriptor tempore quoque usus est. Nam ab iis rebus omnibus vel oritur vel variatur modus verborum usurpandorum: aliterque saepe idem verbum in vita communi, aliter in religione, aliter in scholis Philosophorum dicitur, quae et ipsae non consentiunt satis.

14. Eius porro obseruatio propria est Grammaticorum, quorum artis maxima et praecipua pars in eo versatur, ut, quid verbum quodque, tempore quoque, apud scriptorem quemque, in disciplina et forma denique loquendi quaque, sonuerit, diligenter exquirant. Vnde sensus literalis idem *grammaticus* dicitur; immo verbum *literalis* est latina interpretatio *grammatici*: nec minus recte *historicus* vocatur, quod, ut caetera, quae sunt in facto, testimoniosis et auctoritatibus continetur.

15. Itaque nullus aliis verborum sensus est, nisi grammaticus, eumque Grammatici tradunt. Nam qui alium grammaticum, alium logicum sensum